

Corso di Laurea in Lettere, Arti e Archeologia

Lingua e Letteratura Latina I **a.a. 2017/2018**

docente: Beatrice Larosa

**DOSSIER ONLINE
(AGGIORNATO AL 09/05/2018)**

Il *mos maiorum* nei testi letterari latini (sezione C del programma d'esame)

Contestualizzazione, lettura in originale (metrica, laddove necessaria: esametro o distico elegiaco), analisi linguistica e traduzione dei testi più rappresentativi che, dal periodo arcaico a quello tardo imperiale, riguardano l'origine e l'evoluzione di quel complesso sistema di valori condivisi tramandati sotto il nome di *mores maiorum* e costitutivi dell'identità nazionale romana, con una particolare attenzione all'origine, all'evoluzione e all'arricchimento linguistico e semantico dei termini che li designano. È richiesta l'analisi grammaticale e sintattica, secondo le indicazioni espresse nella legenda sotto.

Legenda:

ROSSO: nozioni grammaticali o sintattiche da riconoscere e analizzare

VERDE: notazioni stilistiche da riconoscere

AZZURRO: notazioni semantiche= parole chiave

TESTO EVIDENZIATO: motivi, percorsi tematici

1) Gli antenati come modelli di *virtus*

a. La *virtus* militare

Gli Orazi e i Curiazi (Livio, *Ab Urbe condita I, 25-26*)

Foedere icto trigemini, sicut convenerat, arma capiunt. Cum sui utrosque adhortarentur, deos patrios, patriam ac parentes, quidquid civium domi, quidquid in exercitu sit, illorum tunc arma, illorum intueri manus, feroes et suopte ingenio et pleni adhortantium vocibus in medium inter duas acies procedunt. [...] Datur signum infestisque armis velut acies terni iuvenes magnorum exercituum animos gerentes concurrunt. Nec his nec illis periculum suum, publicum imperium servitiumque obversatur animo futuraque ea deinde patriae fortuna quam ipsi fecissent. Ut primo statim concursu increpuere arma micantesque fulsere gladii, horror ingens spectantes perstringit et neutro inclinata spe torpebat vox spiritusque. Conseratis deinde manibus cum iam non motus tantum corporum agitatioque anceps telorum armorumque sed volnera quoque et sanguis spectaculo essent, duo Romani super alium aliis, vulneratis tribus Albanis, exspirantes corruerunt. [...] Forte is integer fuit [...] Ergo ut segregaret pugnam eorum capessit fugam, ita ratus secuturos ut quemque volnere adfectum corpus sineret. [...] Cum respiciens videt magnis intervallis sequentes, unum haud procul ab sese abesse in eum magno impetu rediit; et dum Albanus exercitus in clamorat Curiatiis uti opem ferant fratri, iam Horatius caeso hoste victor secundam pugnam petebat.

Orazio Coclite (Livio, *Ab Urbe condita II, 10*)

Cum hostes adessent, pro se quisque in urbem ex agris demigrant; urbem ipsam saepiunt praesidiis. Alia muris, alia Tiberi obiecto videbantur tuta: pons sublicius iter paene hostibus dedit, ni unus vir fuisset, Horatius Cocles; id munimentum illo die fortuna urbis Romanae habuit. Qui positus forte in statione pontis cum captum repentino impetu Ianiculum atque inde citatos decurrere hostes vidisset trepidamque turbam suorum arma ordinesque relinquere, reprehensans singulos, obsistens obtestansque deum et hominum fidem testabatur nequiquam deserto praesidio eos fugere; si transitum ponte a tergo reliquissent, iam plus hostium in Palatio Capitolioque quam in Ianiculo fore. Itaque monere, praedicere ut pontem ferro, igni, quacumque vi possint, interrumpant: se impetum hostium, quantum corpore uno posset obsisti, excepturum. Vadit inde in primum aditum pontis, insignisque inter

conspecta cedentium pugna terga obversis comminus ad ineundum proelium armis, ipso miraculo audacie obstupefecit hostes. Duos tamen cum eo pudor tenuit, Sp. Larcium ac T. Herminium, ambos claros genere factisque.

L'eroismo di Muzio Scevola (Livio, *Ab Urbe condita* II, 12)

Ubi Mucius in Porsennae castra venit, in confertissima turba prope regium tribunal consistit. Ibi, cum stipendum militibus forte daretur, rex et scriba eius sedebant pari fere ornatu, nec Mucius sciebat uter rex esset nec audebat hoc sciscitari. Itaque, facinus fortunae committens, telum temere icit et scribam pro rege obtruncat. Magno clamore undique facto, regii satellites accurunt et Mucium fugere conantem comprehendunt.

Cum eum ante regis tribunal retraxissent, Mucius minime territus intertantas fortunae minas, «Romanus sum – inquit – civis; C. Mucium me vocant. Hostis hostem occidere volui, nec ad mortem minus animi est quam fuit ad caedem; et facere et pati fortia Romanum est. Nec unus in te ego hos animos gessi, longius post me ordo est petentium idem decus».

Cum rex, simul ira incensus periculoque conterritus, minitabundus, ignes adferri iussit ut Mucius excruciatetur nisi expromeret quas insidiarum minas per ambages iaceret, «En tibi – inquit – ut sentias quam vile corpus sit iis qui magnam gloriam vident»; dextramque init foculo ad sacrificium accenso. Cum Mucius manum suam torreret velut animus a sensu alienatus esset, rex attonitus miraculo, ab sede sua prospiliens, amoveri altaribus iuvenem iussit et

«Tu vero abi -inquit-, qui in te magis quam in me hostilia ausus es. Iuberem macte virtute esse (=iuberem te virtute tua celebrari), si pro mea patria ista virtus stare; nunc iure belli liberum te, intactum inviolatumque dimitto». Mucium dimissum, cui postea Scaevolae a clade dextrae manus cognomen inditum, legati a Porsenna Romam secuti sunt. His condicionibus composita pace, exercitum ab Ianiculo deduxit Porsenna et agro Romano excessit. Patres C. Mucio virtutis causa trans Tiberim agrum dono dederunt, quae postea sunt Mucia prata appellata.

b. Una *virtus* al femminile

Clelia (Livio, *Ab Urbe condita* II, 13)

Ergo ita honorata virtute, feminae quoque ad publica decora excitatae sunt, et Cloelia virgo, una ex Porsennae obsidibus, cum castra Etruscorum forte haud procul ripa Tiberis locata essent, frustrata custodes, dux agminis virginum

inter tela hostium Tiberim tranavit sospitesque omnes Romam ad propinquos restituit. **Quod** ubi regi nuntiatum est, primo, incensus ira, oratores **Romam** misit ad Cloeliam obsidem **deposcendam**. Deinde, in admirationem versus, dicit id facinus supra Coclites Muciosque esse et promittit **se habiturum esse** foedus pro rupto, si non dedatur Cloelia ut obses; contra, si dedatur, dicit se remissurum esse eam intactam inviolatamque ad suos. Utrimeque constitit **fides**; **et** Romani pignus pacis ex foedere restituērunt, **et** apud regem Etruscum non tuta solum sed honorata etiam Cloeliae virtus fuit et Porsenna dixit se **donare** laudatam virginem parte obsidum. **Pace redintegrata**, Romani novam in femina **virtutem**, novo genere honoris, statua equestri donaverunt; in Sacra via fuit posita virginis imago insidens equo.

c. Un esempio di *fides*

Attilio Regolo (tratto e rielaborato da Eutropio, *Breviarium* 25)

Primo Punico bello, Atilius Regulus consul Romanus in Africam a senatu missus ut bellum contra Carthaginem inferret, profligatus et captus est a Carthaginiensibus, qui ex eo petiverunt ut **Romam** rediret et pacem a Romanis obtineret ac permutationem captivorum faceret. Nisi haec obtinuisse, iuravit se **Chartaginem** redditurum esse. Ille, Romam **cum venisset**, inductus in senatum, dixit se ex illa die, **qua** in potestatem Afrorum **venisset**, Romanum esse desisse: itaque et uxorem a complexu removit et senatui suasit **ne** pax cum Poenis **fieret neve** captivi **restituerentur**. Dixit enim Carthaginienses iam nullam spem **vincendi** habere et se **tanti** non esse **ut** tot milia captivorum qui ex Romanis capti fuerant, **redderentur**. Itaque obtinuit. Ipse Carthaginem rediit, offerentibusque Romanis ut eum **Romae** tenerent, negavit se in ea urbe mansurum esse in **qua**, postquam Afris servierat, dignitatem honesti civis habere non posset. **Regressus** igitur ad Africam, omnibus suppliciis extinctus est.

2) L'influsso della cultura greca e il nuovo concetto di *mos maiorum*.

a. L'*humanitas* terenziana e la nuova figura del *pater familias* (*Heaut.* I, 1, 75-117; II, 1, 213-219)

Heaut., ACTVS I, 1, 75-117

ME. Chreme, tantum ne ab re tuast oti tibi aliena ut cures ea quae nil ad te attinent?	75
CH. Homo sum: humani nil a me alienum puto. Vel me monere hoc vel percontari puta: rectumst ego ut faciam; non est te ut deterream.	
ME. Mihi sic est usus; tibi ut opus factost, face.	80
CH. An quoiquamst usus homini se ut cruciet? ME. Mihi.	
CH. Si quid laborist nolle. Sed quid istuc malist? Quaeso, quid de te tantum meruisti?	
ME. Eheu!	
CH. Ne lacruma atque istuc, quidquid est, fac me ut sciam: ne retice , ne verere, crede inquam mihi: aut consolando aut consilio aut re iuvero.	85
ME. Scire hoc vis?	
CH. Hac quidem causa qua dixi tibi.	
ME. Dicetur.	
CH. At istos rastros interea tamen adpone, ne labora.	
ME. Minime.	
CH. Quam rem agis?	
ME. Sine me vocivom tempus nequod dem mihi laboris.	90
CH. Non sinam, inquam.	
ME. Ah non aequom facis.	
CH. Hui tam gravis hos, quaeso? ME. Sic meritumst meum.	
CH. Nunc loquere.	
ME. Filium unicum adulescentulum habeo. Ah quid dixi habere me? Immo habui, Chreme; nunc habeam necne incertumst.	
CH. Quid ita istuc?	
ME. Scies.	95
Est e Corinþo hic advena anus paupercula;	

eius filiam ille amare coepit perdite,
 prope iam ut pro uxore haberet: haec clam me omnia.

Ubi rem rescivi, coepi non humanitus
 neque ut animum decuit aegrotum adulescentuli
 tractare, sed vi et via per volgata patrum. Cottidie
 accusabam: «Hem tibine haec diutius licere speras
 facere me vivo patre,
 amicam ut habeas prope iam in uxoris loco?

100

Erras, si id credis, et me ignoras, Clinia.

105

Ego te meum esse dici tantisper volo
 dum quod te dignumst facies; sed si id non facis, ego
 quod me in te sit facere dignum invenero. nulla adeo ex
 re istuc fit nisi ex nimio otio.

Ego istuc aetatis non amori operam dabam,
 sed in Asiam hinc abii propter pauperiem atque ibi simul
 rem et gloriam armis belli repperi».

110

Postremo adeo res rediit: adulescentulus saepe
 eadem et graviter audiendo victus est;
 putavit me et aetate et benevolentia
 plus scire et providere quam se ipsum sibi: in
 Asiam ad regem militatum abiit, Chreme.

115

Heaut., ACTVS II, 1, 213-119

CL. Quam iniqui sunt patres in omnis adulescentis iudices!
 Qui aequom esse censem nos a pueris illico nasci senes
 neque illarum adfinis esse rerum quas fert adulescentia.
 Ex sua lubidine moderantur nunc quae est, non quae olim fuit.
 Mihi si umquam filius erit, ne ille facili me utetur patre;
 nam et **cognoscendi** et **ignoscendi** dabitur peccati locus:
 non ut meus, qui mihi per alium ostendit suam sententiam.

215

b. La *virtus conservatrice* di Catone Praec. ad Marc. fil. (fr. 1 Jordan)

Dicam de istis suo loco, Marce fili, **quid** Athenis exquisitum **habeam**, et quid bonum
 sit illorum litteras inspicere, non perdiscere. Vincam nequissimum et

indocile esse genus illorum. Et hoc puta vatem dixisse, quandoque ista gens suas litteras dabit, omnia corrumpet, tum etiam magis, si medicos suos hoc mittet. Iurantur inter se barbaros necare omnis medicina, sed hoc ipsum mercede faciunt, ut fides iis sit et facile disperdent. Nos quoque dictitant barbaros et spurcius nos quam alios Opicon appellatione foedant. Interdixi tibi de medicis.»

c. La *virtus aristocratica* di Lucilio

Satir. vv. 1326-1338 Marx =1140-1152 Terzaghi – I. Mariotti

metro: esametri

*Virtus, Albine, est pretium persolvere verum
quis in versamur, quis vivimus rebus potesse,
virtus est homini scire id quod quaeque habeat res,
virtus scire homini *rectum, utile* quid sit, *honestum*,
quae bona, quae mala item, quid inutile, turpe, in honestum;
virtus *quaerendae* finem rei scire modumque,
virtus divitiis pretium persolvere posse,
virtus id dare quod re ipsa debetur honori:
hostem esse atque *inimicum hominum morumque malorum*,
contra defensorem hominum morumque bonorum,
hos magni facere, his bene velle, his vivere amicum;
commoda praeterea patriai prima putare,
*deinde parentum, tertia iam postremaque nostra.**

3) La *virtus epicurea*

a. Lucr. 1, 62-79

metro: esametri

*Humana ante oculos foede cum vita iaceret
in terris *oppressa gravi* sub religione
quae caput a caeli regionibus ostendebat
horribili super aspectu *mortalibus* instans, 65
primum Graius homo mortalis tollere contra
est oculos ausus primusque obsistere contra,
quem neque fama deum nec fulmina nec minitanti
murmure compressit caelum, sed eo magis acrem
irritat animi virtutem effringere ut arta 70
naturae primus portarum claustra cupiret.
ergo vivida vis animi pervicit, et extra
processit longe flammantia moenia mundi
atque omne immensum peragravit mente animoque,
*unde refert nobis *victor* quid possit oriri,* 75*

*quid nequeat, finita potestas denique cuique
quanam sit ratione atque alte terminus haerens.
quare religio pedibus subiecta vicissim
obteritur, nos exaequat **victoria** caelo.*

b. Lucr. 2, 1-46

*Suave, mari magno **turbantibus** aequora **ventis**
e terra **magnum** alterius spectare **laborem**;
non quia vexari quemquamst iucunda voluptas,
sed quibus ipse malis careas quia cernere **suave**st.*

*Suave etiam belli certamina magna tueri
per campos instructa tua sine parte pericli;
sed nihil dulcius est, bene quam munita tenere
edita **doctrina sapientum** templa serena,
despicere unde queas alios passimque **videre**
errare atque **viam** palantis quaerere **vitae**,
certare ingenio, contendere nobilitate,
noctes atque dies niti praestante labore
ad summas emergere opes rerumque potiri.*

*O miseras hominum mentes, o **pectora** caeca!
Qualibus in tenebris vitae quantisque periclis
degitur hoc aevi quod cumquest! nonne videre
nihil aliud sibi naturam latrare, nisi ut qui
corpore seiunctus dolor absit, mente fruatur
iucundo sensu cura semota metuque?*

*Ergo corpoream ad naturam pauca videmus
esse opus omnino: quae demandat cumque dolorem,
delicias quoque uti multas substernere possint
gratius inter dum, neque natura ipsa requirit,
si non aurea sunt iuvenum simulacra per aedes
lampadas igniferas manibus retinentia dextris,
lumina nocturnis epulis ut suppeditentur,
nec domus argento fulget auroque renidet
nec citharae reboant laqueata aurataque templa,
cum tamen inter se prostrati in gramine molli
propter aquae rivum sub ramis arboris altae
non magnis opibus iucunde corpora curant,
praesertim cum tempestas adridet et anni
tempora conspergunt viridantis floribus herbas.*

*Nec calidae citius decedunt corpore febres,
textilibus si in picturis ostroque rubenti
iacteris, quam si in plebeia veste **cubandum** est.
Quapropter quoniam nihil nostro in corpore gazae*

5

10

15

20

25

30

35

*proficiunt neque nobilitas nec gloria regni,
quod super est, animo quoque nil prodesse **putandum**;
si non forte tuas legiones per loca campi
fervere cum videas belli simulacra crientis,
subsidiis magnis et opum vi constabilitas,
ornatas armis stlattas pariterque animatas,
his tibi tum rebus timefactae religiones
effugiunt animo pavidae mortisque timores
tum vacuum pectus lincunt curaque solutum.*

40

45

4) La dimensione etica dell'amore: Catullo, carme 76 metro: distici elegiaci

*Siqua recordanti benefacta priora voluptas
est homini, cum se cogitat esse pium,
nec sanctam violasse fidem, nec foedere in ullo
divum ad fallendos numine abusum homines,
multa parata manent in longa aetate, Catulle,
ex hoc ingrato gaudia amore tibi.* 5

*Nam quaecumque homines bene cuiquam aut dicere possunt
aut facere, haec a te dictaque factaque sunt.
Omnia quae ingratae perierunt credita menti.
Quare cur tete iam amplius **excrucies**? 10
Quin tu animum offfirmas atque istinc te ipse reducis
et **dis invitis** desinis esse **miser**?
Difficilest longum subito deponere amorem,
difficilest, verum hoc qua libet efficias:
una salus haec est, hoc est tibi pervincendum,
hoc facias, sive id non pote sive pote.* 15

*O di, si vestrumst misereri, aut si quibus umquam
extremam iam ipsa in morte tulistis opem,
me miserum aspicite et, si vitam **puriter** egi,
eripite hanc pestem perniciemque mihi,
quae mihi surrepens imos ut torpor in artus
expulit ex omni pectore laetias.* 20

*Non iam illud quaero, contra me ut diligat illa,
aut, quod non potis est, esse **pudica** velit:
ipse valere opto et taetrum hunc deponere **morbum**.* 25

*O di, reddite mi hoc **pro pietate mea**!*

CARME 85 (distici elegiaci)

Odi et amo. Quare id faciam, fortasse requiris.
Nescio, sed fieri sentio et **excrucior**.

5) Modelli positivi e negativi nella *res publica* (Sall., *De con. Cat.*, 5, 1-8; 25, 1-5; 54, 1-8; Cic. *Cat.* 1, 1-2).

Sallustio, *De coniuratione Catilinae* 5, 1-8 Ritratto di Catilina

Catilina, nobili *genere* natus, fuit magna vi et *animi et corporis*, *sed* ingenio malo pravoque. Huic ab adulescentia bella intestina caedes rapinae discordia civilis grata fuere, ibique iuventutem suam exercuit. Corpus patiens inediae algoris vigiliae, supra quam quoiquam credibile est. Animus audax subdolus varius, cuius rei lubet simulator ac dissimulator, alieni adpetens, sui profusus, ardens in cupiditatibus; satis eloquentiae, sapientiae parum. Vastus animus inmoderata incredibilia nimis alta semper cupiebat. Hunc post dominationem L. Sullae *lubido maxuma* invaserat rei publicae *capiundae*; neque id quibus modis adsequeretur, dum sibi regnum pararet, quicquam pensi habebat. Agitabatur magis magisque in dies animus ferox inopia rei familiaris et conscientia scelerum, quae utraque iis artibus auxerat, quas supra memoravi. Incitabant praeterea *conrupti civitatis mores*, quos *pessuma* ac *divorsa* inter se mala, luxuria atque avaritia, vexabant.

Sallustio, *De coniuratione Catilinae* 25, 1-5 Ritratto di Sempronio

Sed in iis erat Sempronia, quae multa saepe virilis audaciae facinora commiserat. Haec mulier *genere atque forma*, praeterea viro liberis satis fortunata fuit; litteris Graecis Latinis docta, psallere [et] saltare elegantius quam necesse est probae, multa alia, quae instrumenta luxuriae sunt. Sed ei *cariora* semper omnia *quam decus* atque *pudicitia* fuit; pecuniae an famae minus parceret, haud facile discerneret; *lubido* sic accensa, ut saepius peteret viros quam peteretur. Sed ea saepe antehac *fidem* prodiderat, creditum abiuraverat, caedis conscientia fuerat: luxuria atque inopia paeceps abierat. Verum ingenium eius haud absurdum: posse versus facere, iocum movere, sermone uti vel modesto vel molli vel procaci; prorsus multae facetiae multusque lepos inerat.

Sallustio, *De coniuratione Catilinae*, 54, 1-8 I Ritratti di Cesare e Catone l'Uticense

Igitur iis *genus* aetas *eloquentia* prope aequalia fuere, magnitudo animi par, item gloria, sed alia alii. Caesar beneficiis ac munificentia magnus habebatur, *integritate* vitae Cato. Ille mansuetudine et misericordia clarus factus, huic seueritas dignitatem addiderat. Caesar dando subleuando ignoscendo, Cato nihil largiendo gloriam adeptus est. In altero miseris perfugium erat, in altero malis pernicies. Illius facilitas, huius constantia laudabatur. Postremo Caesar in animum induxerat laborare, vigilare; negotiis amicorum intentus sua neglegere, nihil denegare quod dono dignum esset; sibi magnum imperium, exercitum, bellum novum exoptabat, ubi virtus enitescere posset. At Catoni studium modestiae, *decoris*, sed maxime seueritatis erat; non divitiis cum divite neque factione cum factioso, sed cum strenuo virtute, cum modesto pudore, cum innocentia abstinentia certabat; esse quam videri bonus malebat: ita, *quo minus* petebat gloriam, *eo magis* illum assequebatur.

Cicerone In L.Catilinam oratio 1, 1-3

[1] Quo usque tandem abutere, Catilina, **patientia** nostra? Quam diu etiam **furor** iste tuus nos eludet? Quem ad finem sese effrenata iactabit **audacia**? Nihilne te nocturnum praesidium Palati, nihil urbis vigiliae, nihil timor populi, nihil concursus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora voltusque moverunt? Patere tua consilia non sentis, constrictam iam horum omnium scientia teneri coniurationem tuam non vides? Quid proxima, quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid consilii ceperis, quem nostrum ignorare arbitraris? [2] **O tempora, o mores!** Senatus haec intellegit. Consul videt; hic tamen vivit. Vivit? Immo vero etiam in senatum venit, fit publici consilii particeps, notat et designat oculis ad caedem unum quemque nostrum. Nos autem fortes viri satis facere rei publicae videmur, si istius furorem ac tela vitemus. Ad mortem **te**, Catilina, duci iussu consulis iam pridem oportebat, in **te** conferri pestem, quam **tu** in nos omnes iam diu machinaris. [3] An vero vir amplissimus, P. Scipio, pontifex maximus, Ti. Gracchum mediocriter labefactantem statum rei publicae privatus interfecit: Catilinam orbem terrae caede atque incendiis vastare cupientem nos consules perferemus? Nam illa nimis antiqua praetereo, quod C. Servilius Ahala Sp. Maelium novis rebus studentem manu suā occidit. Fuit, fuit ista quondam in hāc re publicā **virtus** ut **viri fortes** acrioribus suppliciis civem perniciosum quam acerbissimum hostem coercent. Habemus senatus consultum in te, Catilina, vehemens et grave, non deest rei publicae consilium neque auctoritas huius ordinis: nos, nos, dico aperte, consules desumus.

6) La virtus come conquista personale e la figura dell'*homo novus* (Sall. Jug. 85, 29-40)

Non possum fidei causa **imagines** neque triumphos aut consulatus maiorum meorum ostentare, at, si res postulet, hastas, vexillum, phaleras, alia militaria dona, praeterea cicatrices **advorso** corpore. Hae sunt meae imagines, haec nobilitas, non hereditate reicta, ut illa illis, sed quae ego meis plurimis laboribus et periculis quaequivi. Non sunt composita verba mea: parvi id facio. Ipsa se **virtus** satis ostendit; illis artificio opus est, ut turpia facta oratione tegant. Neque litteras Graecas didici: parum placebat eas discere, quippe quae ad virtutem doctoribus nihil profuerant. **At illa multo optima rei publicae doctus sum:** hostem ferire, praesidia agitare, nihil metuere nisi turpem famam, hiemem et aestatem iuxta pati, humi requiescere, eodem tempore inopiam et labore tolerare. His ego paeceptis milites hortabor, neque illos arte colam, me opulenter, neque gloriam meam, laborem illorum faciam. Hoc est utile, hoc civile imperium. Namque cum tute per mollitem agas, exercitum suppicio cogere, id est dominum, non imperatorem esse. Haec atque alia talia **maiores** vestri faciendo seque remque publicam celebravere. Quis nobilitas freta, ipsa dissimilis moribus, nos illorum aemulos contemnit et omnis honores non ex merito, sed quasi debitos a vobis repetit. Ceterum homines superbissimi procul errant. **Maiores** eorum omnia quae licebat illis reliquere: divitias, imagines, memoriam sui paeclarlam; virtutem non reliquere, neque poterant: ea sola neque datur dono neque accipitur. Sordidum me et in cultis moribus aiunt, quia

parum scite convivium exorno neque histriōnem ullum neque pluris preti coquum quam vilicūm habeo. **Quae** mihi libet confiteri, Quirites. Nam ex parente meo et ex aliis sanctis viris ita accepi, munditias mulieribus, viris laborem convenire, omnibusque bonis oportere plus gloriae quam divitiarum esse; arma, non supellectilem **decori** esse.

7) Cicerone e l'ideale del *decorum* (*Off. I, 93*)

Sequitur ut de una reliqua parte **honestatis** dicendum sit, in qua verecundia et quasi quidam ornatus vitae, **temperantia** et **modestia** omnisque sedatio perturbationum animi et rerum modus cernitur. Hoc loco continetur id, quod dici latine *decorum* potest, graece enim πρέπον dicitur. Huius vis ea est, ut ab honesto non queat separari; nam et quod decet honestum est et quod honestum est decet. Qualis autem differentia sit honesti et decori, facilius intellegi quam explanari potest. Quicquid est enim, quod deceat, id tum apparet, cum antegressa est honestas. Itaque non solum in hac parte honestatis, de qua hoc loco disserendum est, sed etiam in tribus superioribus quid deceat apparet.

8) Il classicismo augusto e la restaurazione dei mores maiorum (l'ideale del *pius agricola*: *Verg. georg. 2, 490-515*). Esametri dattilici

<i>Felix qui potuit rerum cognoscere causas</i>	490
<i>atque metus omnis et inexorabile fatum</i>	
<i>subiecit pedibus strepitumque Acherontis auari:</i>	
<i>fortunatus et ille deos qui nouit agrestis</i>	
<i>Panaque Siluanumque senem Nymphasque sorores.</i>	
<i>illum non populi fasces, non purpura regum</i>	495
<i>flexit et infidos agitans discordia fratres,</i>	
<i>aut coniurato descendens Dacus ab Histro,</i>	
<i>non res Romanae perituraque regna; neque ille</i>	
<i>aut doluit miserans inopem aut inuidit habenti.</i>	
<i>quos rami fructus, quos ipsa uolentia rura</i>	500
<i>sponte tulere sua, carpsit, nec ferrea iura</i>	
<i>insanumque forum aut populi tabularia uidit.</i>	
<i>sollicitant alii remis freta caeca, ruuntque</i>	
<i>in ferrum, penetrant aulas et limina regum;</i>	
<i>hic petit excidiis urbem miserosque penatis,</i>	505
<i>ut gemma bibat et Sarrano dormiat ostro;</i>	
<i>condit opes alias defossoque incubat auro;</i>	
<i>hic stupet attonitus rostris, hunc plausus hiantem</i>	
<i>per cuneos geminatus enim plebisque patrumque</i>	
<i>corripuit; gaudent perfusi sanguine fratrum,</i>	510
<i>exsilioque domos et dulcia limina mutant</i>	
<i>atque alio patriam quaerunt sub sole iacentem.</i>	

*Agricola incuruo terram dimouit aratro:
hic anni labor, hinc patriam paruosque nepotes
sustinet, hinc armenta boum meritosque iuuencos.* 515

**L'esaltazione delle origini di Roma e della sua missione civilizzatrice (Verg. Aen.
VI, 788-800; 808-835; 845-853) Esametri dattilici**

*Huc geminas nunc flecte acies, hanc aspice gentem
Romanosque tuos. hic Caesar et omnis Iuli
progenies magnum caeli ventura sub axem. 790
hic vir, hic est, tibi quem promitti saepius audis,
Augustus Caesar, divi genus, aurea condet
saecula qui rursus Latio regnata per arva
Saturno quondam, super et Garamantas et Indos
proferet imperium; iacet extra sidera tellus,
extra anni solisque vias, ubi caelifer Atlas
axem umero torquet stellis ardentibus aptum.
huius in adventum iam nunc et Caspia regna
responsis horrent divum et Maeotia tellus,
et septemgemini turbant trepida ostia Nili. 800*

*quis procul ille autem ramis insignis olivae
sacra ferens? nosco crinis incanaque menta
regis Romani primam qui legibus urbem 810
fundabit, Curibus parvis et paupere terra
missus in imperium magnum. cui deinde subbit
otia qui rumpet patriae residesque movebit
Tullus in arma viros et iam desueta triumphis
agmina. quem iuxta sequitur iactantior Ancus 815
nunc quoque iam nimium gaudens popularibus auris.
vis et Tarquinios reges animamque superbam
ultoris Bruti, fascisque videre receptos?
consulis imperium hic primus saevaque securis
accipiet, natosque pater nova bella moventis 820
ad poenam pulchra pro libertate vocabit,
infelix, utcumque ferent ea facta minores:
vincet amor patriae laudumque immensa cupido.
quin Decios Drusosque procul saevumque securi
aspice Torquatum et referentem signa Camillum.
illae autem paribus quas fulgere cernis in armis,
concordes animae nunc et dum nocte prementur,
heu quantum inter se bellum, si lumina vitae 825*

*attigerint, quantas acies stragemque ciebunt,
aggeribus socer Alpinis atque arce Monoeci
descendens, gener adversis instructus Eois!
ne, pueri, ne tanta animis adsuescite bella
neu patriae validas in viscera vertite viris;
tuque prior, tu parce, genus qui ducis Olympo,
proice tela manu, sanguis meus!—* 830
835

*quo fessum rapitis, Fabii? tu Maximus ille es,
unus qui nobis cunctando restituis rem.
excedent alii spirantia mollius aera
(credo equidem), vivos ducent de marmore vultus,
orabunt causas melius, caelique meatus
desribent radio et surgentia sidera dicent:
tu regere imperio populos, Romane, memento
(hae tibi erunt artes), pacique imponere morem,
parcere subiectis et debellare superbos.'* 845
850

L'aurea mediocritas oraziana (carm. 2, 10)

Rectius vives, Licini, neque altum
semper **urgendo** neque, dum **procellas**
cautus horrescis, nimium premendo
litus iniquum.

Auream quisquis **mediocritatem** 5
diligit, tutus caret obsoleti
sordibus tecti, caret invidenda
sobrius aula.

Saepius ventis agitatur ingens
pinus et celsae **graviore** casu 10
decidunt turres feriuntque summos
fulgura montis.

Sperat infestis, metuit secundis
alteram sortem bene praeparatum
pectus. Informis hiemes reducit 15
Iuppiter, idem

summovet. Non, si male nunc, et olim
sic erit: quondam cithara tacentem

suscitat Musam neque semper arcum
tendit Apollo. 20

Rebus angustis animosus atque
fortis appare; sapienter idem
contrahes vento nimium secundo
turgida vela.

L'autarkeia tibulliana (Tib. 1, 1, 1-32) Distici elegiaci

<i>Divitias alius fulvo sibi congerat auro Et teneat culti iugera multa soli, Quem labor adsiduus vicino terreat hoste, Martia cui somnos classica pulsa fugent: Me mea paupertas vita traducat inertis,</i>	5
<i>Dum meus adsiduo luceat igne focus. Ipse seram teneras maturo tempore vites Rusticus et facili grandia poma manu; Nec spes destituat, sed frugum semper acervos Praebeat et pleno pinguia musta lacu.</i>	10
<i>Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris Seu vetus in trivio florida serta lapis, Et quodcumque mihi pomum novus educat annus, Libatum agricolae ponitur ante deo.</i>	
<i>Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona Spicea, quae templi pendeat ante fores, Pomosisque ruber custos ponatur in hortis, Terreat ut saeva falce Priapus aves.</i>	15
<i>Vos quoque, felicis quandam, nunc pauperis agri Custodes, fertis munera vestra, Lares.</i>	20
<i>Tunc vitula innumeros lustrabat caesa iuvencos, Nunc agna exigui est hostia parva soli. Agna cadet vobis, quam circum rustica pubes Clamet 'io messes et bona vina date'.</i>	
<i>Iam modo iam possim contentus vivere parvo Nec semper longae deditus esse viae, Sed Canis aestivos ortus vitare sub umbra Arboris ad rivos praetereuntis aquae.</i>	25
<i>Nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentem Aut stimulo tardos increpusse boves, Non agnamve sinu pigeat fetumve capellae Desertum oblita matre referre domum.</i>	30

I valori del *coniugium* tra *fides* e *foedus sociale* (Ov. *Pont.* 3, 1, 1-76)

Distici elegiaci

Aequor Iasonio pulsatum remige primum,
quaeque nec hoste fero nec nive terra cares,
ecquod erit tempus, quo vos ego Naso relinquam
in minus hostili iussus abesse loco?

An mihi barbaria vivendum semper in ista,
inque Tomitana condar oportet humo?

Pace tua (si pax ulla est tua, Pontica tellus,
finitimus rapido quam terit hostis equo),
pace tua dixisse velim: ‘tu pessima duro
pars es in exilio, tu mala nostra gravas.’

5

10

Tu neque ver sentis cinctum florente corona,
tu neque messorum corpora nuda vides,
nec tibi pampineas autumnus porrigit uvas,
cuncta sed inmodicum tempora frigus habent.

Tu glacie freta vincita tenes, et in aequore piscis
inclusus tecta saepe natavit aqua.

15

Nec tibi sunt *fontes*, laticis nisi paene marini,
qui potus dubium sistat alatne sitim;
rara, neque haec felix, in apertis eminent arvis
arbor, et in terra est altera forma maris;
non *avis* obloquitur, nisi silvis siqua remotis
aequoreas rauco gutture potat aquas;
tristia per vacuos horrent absinthia campos,
conveniensque suo messis amara loco.

20

Adde metus, et quod murus pulsatur ab hoste
tinctaque mortifera tabe sagitta madet,
quod procul haec regio est et ab omni devia cursu,
nec pede quo quisquam nec rate tutus eat.

25

Non igitur mirum, finem quaerentibus horum
altera si nobis usque rogatur humus.

30

Te magis est mirum non hoc evincere, *coniunx*,
inque meis lacrimas posse tenere malis.

Quid facias, quaeris: quaeras hoc scilicet ipsum,
invenies, vere si reperire voles.

Velle parum est: cupias, ut re potiaris, oportet,
et faciat somnos haec tibi cura breves.

35

Velle reor multos: quis enim mihi tam sit iniquus,
optet ut exilium pace carere meum?

Pectore *te* toto cunctisque incumbere nervis
et niti pro me nocte dieque decet.

40

Utque iuvent alii tu debes vincere amicos

uxor et ad partis prima venire tuas.

*Magna tibi imposita est nostris persona libellis:
coniugis exemplum diceris esse bonae.*

*Hanc **cave** degeneres; ut sint praeconia nostra
vera, **vide** Famae quod tuearis opus.*

45

*Ut nihil ipse querar, tacito me Fama queretur,
quae debet fuerit ni tibi cura mei.*

*Exposuit mea me populo Fortuna **videndum**,
et plus notitiae, quam fuit ante, dedit.*

50

*Notior est factus Capaneus a fulminis ictu,
notus humo mersis Amphiaraus equis;
si minus errasset, notus minus esset Ulixes,
magna Philoctetae vulnere fama suo est.*

*Si locus est aliquis tanta inter nomina parvis,
nos quoque conspicuos nostra ruina facit.*

55

*Nec te nesciri patitur mea pagina, qua non
inferius Coa Bittide nomen habes.*

*Quidquid ages igitur, **scaena** **spectabere magna**,
et **pia** non parvis testibus **uxor** eris.*

60

*Crede mihi, quotiens laudaris carmine nostro,
qui legit has laudes, an mereare rogat.*

*Utque favere reor plures virtutibus istis
sic tua non paucae carpere facta volent.*

Quarum tu praesta ne livor dicere possit

65

*'Haec est pro miseri lenta salute viri',
cumque ego deficiam nec possim ducere currum,
fac tu sustineas debile sola iugum.*

Ad medicum specto venis fugientibus aeger:

ultima pars animae dum mihi restat, ades

70

*quodque ego praestarem, si te magis ipse valerem,
id mihi, cum valeas fortius, ipsa refer.*

Exigit hoc socialis amor foedusque maritum:

moribus hoc, coniunx, exigis ipsa tuis.

*Hoc domui debes, de qua censeris, ut illam
non magis officiis quam probitate colas.*

75

9) L'età imperiale tra nuovi fermenti culturali e declino di valori etici. L'humanitas senecana (Epistulae morales ad Lucilium 95, 51-53)

Ecce altera quaestio, quomodo hominibus sit utendum. Quid agimus? Quae damus praecepta? Ut parcamus sanguini humano? Quantulum est ei non nocere cui debeas prodesse! **Magna** scilicet laus est si homo mansuetus homini est. Praecipiems ut naufrago manum porrigat, **erranti** viam monstret, cum esuriente panem suum dividat? Quare omnia quae praestanda ac vitanda sunt, dicam? Cum possim breviter hanc illi formulam humani officii tradere: omne hoc quod vides, quo divina atque humana conclusa sunt, unum est: membra sumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit **cum** ex isdem et in eadem **gigneret**. Haec nobis amorem indidit mutuum et sociabiles fecit. Illa aequum iustumque composuit, ex illius constitutione miseries est nocere quam laedi: ex illius imperio paratae sint iuvandis manus. Ille versus et in pectore et in ore sit: Homo sum, humani nihil a me alienum puto.

Haec habeamus: in commune nati sumus; societas nostra lapidum fornicationi simillima est quae casura nisi invicem ostarent, hoc ipso sustinetur.

Giovenale: la vera nobilità (sat. VIII, 1-24) Esametro dattilico

*Stemmata quid faciunt? quid prodest, Pontice, longo
sanguine censeri, pictos ostendere uultus
maiorum et stantis in curribus Aemilianos
et Curios iam dimidios umeroque minorem
Coruinum et Galbam auriculis nasoque carentem, 5
[quis fructus generis tabula iactare capaci
Coruinum, posthac multa contingere uirga
fumosos equitum cum dictatore magistros,]
si coram Lepidis male uiuitur? effigies quo
tot bellatorum, si luditur alea pernox
ante Numantinos, si dormire incipis ortu
luciferi, quo signa duces et castra mouebant?
cur Allobrogicis et magna gaudeat ara
natus in Herculeo Fabius lare, si cupidus, si
uanus et Euganea quantumuis mollior agna,
si tenerum attritus Catinensi pumice lumbum
squalentis traducit auos emptorque ueneni
frangenda miseram funestat imagine gentem?
tota licet ueteres exornent undique cerae
atria, nobilitas sola est atque unica uirtus. 20
Paulus uel Cossus uel Drusus moribus esto,
hos ante effigies maiorum pone tuorum,
praecedant ipsas illi te consule uirgas.
prima mihi debes animi bona. sanctus haberi*

La vita ideale (Marziale, *Epigrammata I*, 55) Distici elegiaci

*Vota tui breviter si vis cognoscere Marci,
Clarum militiae, Fronto, togaeque decus,
Hoc petit, esse sui nec magni ruris arator,
Sordidaque in parvis otia rebus amat.*

*Quisquam picta colit Spartani frigora saxi
Et matutinum portat ineptus Have,
Cui licet exuvii nemoris rurisque beato
Ante focum plenas explicuisse plagas*

*Et piscem tremula salientem ducere saeta
Flavaque de rubro promere mella cado?
Pinguis inaequales onerat cui vilica mensas
Et sua non emptus praeparat ova cinis?*

5

10

*Non amet hanc vitam quisquis me non amat, opto,
Vivat et urbanis albus in officiis.*

Tacito e la fosca descrizione dell'aetas neroniana (Ann. XIII, 16)

Mos habebatur principum liberos cum ceteris idem aetatis nobilibus **sedentes** vesci in adspectu propinquorum propria et parciore mensa. Illic epulante Britannico, **quia** cibos potusque eius delectus ex ministris gustu explorabat, **ne omitteretur** institutum aut utriusque morte proderetur scelus, talis dolus repertus est. Innoxia adhuc ac praecalida et libata gustu potio traditur Britannico; dein, postquam fervore aspernabatur, frigida in aqua adfunditur venenum, quod ita cunctos eius artus pervasit ut vox pariter et spiritus raperetur. Trepidatur a **circumsedentibus**; diffugiunt imprudentes; **at** quibus altior intellectus resistunt defixi et Neronem intuentes. Ille, ut erat reclinis et nescio similis, solitum ita ait per comitiale morbum quo prima ab infantia adflictaretur Britannicus, et reddituros paulatim visus sensusque. **At** Agrippinae is pavor, ea consternatio mentis, **quamvis** vultu **premeretur**, emicuit ut perinde ignaram fuisse atque Octaviam sororem Britannici constiterit: quippe sibi supremum auxilium ereptum et parricidii exemplum intellegebat. Octavia quoque, quamvis rudibus annis, dolorem, caritatem, omnes affectus abscondere didicerat. Ita post breve silentium repentita convivii laetitia.